



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio. V. De infinitate, & immensitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

à ratione recta operari queat: iuxta illud Psalmi 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.* Et 1. Regum 2. *Non est Sanctus ut est Dominus. Neque enim est alius, extra te: eo nimirum gradu & eminentia sanctitatis & iustitiæ.*

17. Neque obest huic rectitudini, & summæ bonitati morali diuinæ voluntatis, reprobatio, vel permissio malorum, vel concursus ad actus vitiosos voluntatis creatæ. Nam quod attinet ad reprobationem: Deus neminem reprobatur antecedenter & à se: sed præuiso defectu conditionis necessariæ ad salutem, vel malo merito, ex parte creaturæ. Mala verò non ita permittit, quin seuerè prohibeat & puniat. Quòd si non impedit absolutâ & efficaci voluntate, ne fiant: id ad suauem eius dispositionem & prouidentiam attinet, vt ne creaturas racionales & liberas priuet vsu libertatis naturalis, vt dicâ paulò post. Quòd deniq; spectat ad concursus ad actus voluntatis vitiosæ agentis; magna est differentia inter creaturam liberè exercentem actum vitiosum, & Deum concurrentem ad entitatem illius actus. Deo enim non imputatur, nec imputari potest turpitudine peccati; quia illam nec vult, nec probat; nec tenetur impedire: sed potius cum ipse naturali necessi-

tate creaturarum sit veluti supplementum aliarum causarum, quæ nihil possunt agere sine illius concursu: tenetur quodammodo concurrere cum causis secundis, tanquam naturale supplementum illarum, vs illæ vires suas naturales exercere possint, iuxtaque suum gradum & ordinem & conditionem operari. Creaturæ verò tribuitur & imputatur actionis turpitudine, quoniam creatura naturalem aut positiuam obligationem habet, ad abstinendum ab illo actu, propter moralem ipsius turpitudinem, quale debitum non est in Deo, quem potius æquum est concurrere, veluti causam primam, secundum exigentiam & determinationem causarum secundarum, vt ipsæ suum naturale veluti ius & libertatem operandi obtineant; & cum bene operantur, operentur eò melius & laudabilius, quòd transgressi fuerint, & transgressæ non sint. Duo autem in actu voluntatis peccantis positiuè distinguenda sunt: entitas Physica, ad quam totam Deus concurrat: & malitia moralis, ad quam Deus non concurrat, sed existit ex eo solum quòd creatura scienter & liberè operatur contra morale debitum. Sicut in musica, dissonantia vt vitiosa, est ab eo solo, qui contra leges musicæ canit; non ab alijs, qui peritè.

Cur Deo
concurrenti
non im-
putetur
peccatum.

DISPUTATIO QUINTA

De Infinitate & Immensitate Dei.

Sectio I. *An, & quomodo Deus sit infinitus?*

Sectio II. *Soluantur obiectiones contra Infinitatem Dei.*

Sectio III. *De Immensitate, & Existentia Dei in rebus omnibus.*

Sectio IV. *Difficultates & nota circa doctrinam præcedentem.*

Sectio V. *Refertur & impugnatur sententia quorundam contra Dei immensitatem.*

Sectio VI. *Refutantur ea quæ respondent Aduersarij argumentis contra illos propositis.*



De Infinitate, & Immensitate Dei disputat S. Tho. q. 7. & 8. in quarum priori affirmat Deum esse ens infinitum, propterea quòd illius esse non est esse in aliquò, sed ipse est suum esse subsistens. Solumque Deum per essentiam, & simpliciter, infinitum esse: cætera verò omnia esse simpliciter finita, & infinita tantum secundum quid, quia habent esse receptum, & contractum ad naturam terminatam. Nullumque actu infinitum dari posse extra Deum: siue secundum magnitudinem, quia sicut quodlibet corpus habet formam determinatam: ita & determinatam quantitatem, quæ ad illam consequitur: & alioqui corpus

lud non potest moueri localiter. Sive etiam secundum multitudinem: quia omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita: quia quilibet numerus est multitudine facta per vnum. Vnde impossibile est esse multitudinem actu infinitam, siue per se, siue per accidens. In posteriori asserit Deum esse intimè in rebus omnibus, tanquam agens coniunctum ei in quod immediatè agit, suaque virtute illud contingens: oportet enim mouens & motum esse simul, Et esse in omnibus locis, non solum dando illis esse quod habent, & virtutem locatiuam: sed etiam illa replendo intimè suâ ipsius substantiâ. Et denique esse vbique per essentiam, quia illius substantia est in omnibus locis: per præsentiam, quia omnia cognoscit: & per potentiam, quia operatur quidquid ipsam extra ipsum existit. Deique solius proprium esse, quod per se primò vbique sit: quia quotcunque loca ponantur, oportet quod in quolibet sit Deus, non secundum partem, sed secundum se totum, & indiuisibiliter. Hæc D. Thomas quæ sequentibus sectionibus illustranda sunt.

SECTIO I.

An, & quomodo, Deus sit infinitus?

Probatur Deum esse infinite perfectum.



CONCLUSIO D. Thomæ q. 7. a. 1. & c. Communis omnium Theologorum est Deum esse infinite perfectum. Probatur primò ex Scrip. Psal. 144.

August.

v. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Vbi nota quod magnitudo (Deus enim incorporeus est) sed perfectionis intelligitur, iuxta illud D. Augustini lib. 6. de Trinit. cap. 8. In istis quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse. Et Psal. 146. versus 5. Magnus Dominus noster, in magna virtus eius, & sapientia eius non est numerus. Addunt aliqui illud Baruch. 3. v. 25. Magnus est, & finem non habet, excelsus & immensus. Verum, vt rectè Maldonatus ibi aduertit, illud de Deo dictum non est, sed de loco possessionis Dei, hoc est de mundo, cuius magnitudinem Prophetæ exaggerat, vt ostendat gratiam colatam in Indæos tot populis præteritis.

Maldonat.

que subdit: Ibi fuerunt gigantes &c. Neque tantum eo loci sumitur infinitum in Scriptura metaphoricè & amplificatoriè, pro valde magno: sed alibi sapius: vt Numerorum 32. ubi magna diuitiarum copia, & iumentorum multitudo dicitur infinita: & 3. Regum 3. infinitus populus: & cap. 10. aurum infinitum simis.

Dices, si ita est, quidni pariter loca initio citata sumuntur metaphoricè & amplificatoriè? Respondet primò, quia Scriptura quæcunque de Deo constantissimè prædi-

cat, & idem de Deo semper inculcat, nec quidquam addit vnde metaphora deprehendatur: neque aliunde vlla est ratio recedendi à sensu proprio. Secundò, quia communis consensus Patrum & Ecclesiæ, interpretumque, & fidelium omnium, ea intelligit in sensu proprio, & videre est apud Suarez lib. 2. de essentia & attributis Dei cap. 1. Valentiam q. 7. puncto 1. Fasolum, & alios accuratiores interpretes D. Thomæ ad artic. 1. quæst. 7.

Præterea ratio naturalis idem suadet. Nam de diuina perfectione quàm optime esse sentiendum, & nihil quod videatur esse perfectius, debet ei negari, nisi certa ratio contraria suadeat, id est, ostendat non esse perfectius id, quod tale nobis videtur. Melius autem est si infinita sit, & nulla certa ratio contrarium suadet. Nulla enim ratione, vel probabili, ostendi potest mandum necessariò determinatum esse ad molem quàm nec habet, sed potius maior & maior in infinitum esse potuit. Idèque dico de multitudinè plantarum, animalium, Angelorum, & rerum aliarum: non tantum successiue, sed etiam simul plures & plures supra quemcunque numerum finitum produci poterunt: cum non repugnet plura & plura in infinitum simul esse: quia esse vnius, non implicat contradictionem cum esse alterius, vt esse & non esse eiusdem rei. Virtus autem quæ valet ad producendū totum simul obiectum supra quod sit finitum, infinita esse debet. Et virtus infinita arguit perfectionem infinitam. Ergo diuina virtus quæ valet ad hæc omnia, infinita est, & arguit in Deo perfectionem infinitam, & quidem in omni genere entis, si certus illa talis est, vt possit plura simul & plura in infinitum in quocunque genere entis cuiusmodi

Virtus infinita Dei arguit eius perfectionem infinitam.

cuiusmodi est virtus diuina. Minor est clara. Nam manifestè maior virtus requiritur ad plura simul faciendâ, quàm ad vnum: Et eò maior, quòd ad plura. Quòd si potestas esset finita: determinaretur ad certum terminum, vltra quem non posset progredi. Confirmatur, quia non tantùm multitudo indiuiduorum producibilium infinita est, sed etiam specierum atque essentiarum, perfectiorum & perfectiorum in infinitum. Ergo Deus, qui est prima causa omnium huiusmodi producibilium, infinitus esse debet, & non tantùm quocunq; modo, sed simpliciter in omni genere entis. Debet enim continere in se, vt prima causa, omnes huiusmodi perfectiones in quocunq; genere possibiles, & quidem eminentius, & cum independentiâ. Atqui potest in quocunq; genere entis producere perfectiora & perfectiora in infinitum: Et illa potentia tota simul est, valetque ad plura simul supra quantumque multitudinem & perfectionem finitam producenda: ergo &c.

Neque dicas, satis repugnare vt mundus vltra certum terminum multitudinis progrediatur, vel multitudo horum, plantarum, vel specierum, vltra certum numerum, quia non est causa quæ possit vltra progredi. Etenim sicut nulla apparet ratio limitandi obiectum: ita nec causam determinandi ad certum terminum vel numerum. Neutrùm verò sine certa & sufficienti ratione limitandū est. Estque euidenter inceptum dicere, nò potuisse, v. g. addi aliud cælum supra Emphyreū, aut Emphyreum additum fuit supra firmamentum: & ita Incipere. Item negari nequit cogitationes Angelorum, & animarum rationalium, fore plures & plures in infinitum per æternitatem à patre nati: nullumque fore terminum, vltra quem non progrediatur. Ergo Dei intellectus, qui ab ætère simul omnes illas cognoscit, debet esse infinitus: & tanta sapientia, seu scientia, & cognitio, simul attingens distinctissimè plura & plura sine fine, non potest esse finita. Idemque dico de voluntate & amore Dei, quo distinctè vult & amat simul omnes & singulos actus bonos, sine fine exercendos plures & plures per æternitatem, ab Angelis vel hominibus beatis. Cùmque nihil aliud sit, existens in quacunq; temporis differentia, aut etiam possibile, & quod Dei voluntas, & cognitio non peringat: omnino est illimitata in genere, conditionis & intelligentiæ, æquæ ac eius omnipotentia est infinita in genere potentie. Sunt autem illi tria Dei attributa præcipua, quibus cætera de Deo esse conueniunt.

Tertio, Deus est ens à se. Ergo est ens illimitatum & infinitum. Consequentia probari solet, quia omnis limitatio est à aliqua causa. At ens à se non habet causam: ergo non habet à quo limitetur. Verùm hic discursus, si nihil addatur aliud, probat tantummodo Deum, qui est ens à se, esse per-

fectissimum quantum esse potest: & non esse ita limitatum ad vnum genus perfectionis, vt alias non contineat formaliter, vel eminenter. Nulla enim est ratio, cur dicatur ens à se illis carere: maxime cùm ens à se non possit esse nisi vnicum, sique radix & fundamentum omnium aliorum entium, & omnium perfectionum extra se possibilem. Ac inde non sequitur ens à se esse infinitum simpliciter, id est, non modò nulla perfectione carens, sed habens perfectionem maiorem quacumque finitâ, & excedentem omnem perfectionem finitam. Quare vt hoc concludatur, addendum est, & aliunde probandū, perfectiones creaturarum posse esse plures & maiores in infinitum: & Deum excedere huiusmodi perfectiones quantumcunq; augeantur, vel maiores & maiores concipiantur. Aliter ergo probari potest consequentia supra facta, quia ens à se debet esse perfectissimum, quantum esse & concipi potest. Absurdum enim esset existimare ens imperfectius esse à se, & ens perfectius non gaudere illa essendi felicitate, & absoluta necessitate existendi: quæ si vlli conuenit ratione suæ perfectionis & sufficientiæ: debet maxime enti perfectissimo conuenire. Atqui ens perfectissimum quantum esse & concipi potest, id est, quo non possit esse neque concipi perfectius, debet esse simpliciter infinitum in perfectione. Est enim perfectius, esse infinitum simpliciter in perfectione, quàm esse finitum: & tale ens potest esse & concipi: quia in tali conceptu, & obiecto illi respondente, id est, in possibile & existentia talis entis, nulla est contradictio. Quare Deus est infinitus simpliciter in genere entis, id est, in omni genere perfectionis, ita vt modo præstantissimo contineat formaliter vel eminenter omnes perfectiones cuiuscunq; generis, & excedat omnes finitas perfectiones existentes aut possibiles in quocunq; genere.

Quartò, eadem infinitas probari solet ex virtute creandi, quam Deo conuenire manifestum est. Quædam enim sunt rebus creatis quæ non potuerunt fieri nisi per creationem propriè dictam, vt hinc sumitur, id est, per productionem ex nihilo subiecti. Nam ille modus agendi independentè à concursu subiecti, similis est modo intelligendo independentè à concursu obiecti. Quare sicut intellectus tam independentè, & tam per se sufficiens ad intelligendum, valet ad omnia intelligibilia, eoque ipso ea intelligit, quòd sunt intelligibilia, nihil enim aliud requirit ex parte obiecti, neque concausa vel complemento virtutis inuiget: ita potentia quæ valet ad creandum, valet ad omnia creabilia, nihilque aliud requirit ex parte obiecti, quàm posse produci, seu fieri ex nihilo. Sed de hac ratione plura inferius, in tractatu tertio de Deo vt creatore, vbi ostendemus solius esse virtutis diuine posse aliquid creare. Interea vt discursus ille concludat Deum esse simpliciter infinitum

Intelligentia Dei est infinita, & voluntas, æquæ ac omnipotentia.

Ens à se est illimitatum.

An, & quomodo virtus creandi est infinita. Deum esse infinitum.

quia virtus eius valet ad omnia creabilia: addendum est perfectiones creabiles esse plures & perfectiores in infinitum: easque omnes simul in Deo creatore contineri, ut in causa efficiente principali & totali. Nam si illae perfectiones essent finitae: rursus Deus omnes illas contineret, non esset infinitus simpliciter & proprie: sed improprie tantum: id est, non esset quidem determinatus ad unum genus perfectionis, vel ad plura quae congereret sola, & non omnia: sed non esset infinitus simpliciter & proprie, id est, excedens quidquid finitum est. Sic enim infinitum generatim definit Aristoteles 3. Physicorum, textu 60. ubi ait, Infinitum actu est illud quod exsuperat omne finitum. Definitio vero illa est, Cuius quantitatem accipientibus, restat accipiendum ultra, post quaecumque summationem finitam: siue, quod tantum est, ut aliud & aliud sit sumere post quaecumque summationem finitam: est tantum definitio infiniti in quantitate formali partem habente. Valet tamen ad declarandum quodcumque aliud infinitum in quantitate virtuali, in quo aliqua partium virtualium multitudo excogitari potest. Absolute vero infinitum de re simplici dici potest, & quae partibus careat. Sed quoad modum infinitum in magnitudine vel multitudine, si daretur, excederet quoduis finitum: ita infinitum simplex excedit quidquid finitum est.

Aristot.
Infinitum quid sit, & quotuplex?

Excessus autem ille duplex esse potest. Vel primum in aliquo tantum genere & ordine: ut linea infinita, excedit quoduis finitum in longitudine: & superficies infinita, quoduis finitum in latitudine: & sapientia vel potentia infinita, quoduis finitum in genere sapientiae vel potentiae. Vel secundum simpliciter & absolute in omni genere perfectionum, quas omnes per gradum supra quemuis finitum excellenti, vel formaliter, vel eminenter contineat. Priori modo, Deus est infinitus secundum sapientiam specialiter sumptam, & misericordiam, bonitatem, omnipotentiam, &c. iuxta illud Psalmi 146. v. 5. Sapientia eius non est numerus, & Deus unus misericordia eius est numerus, & bonitatis eius est thesaurus, ut ait Ecclesia in oratione quadam officii diuini. Posteriori modo est infinitus per essentiam totaliter sumptam: quatenus per illam ita perfectus est, ut non sit limitatus ad unum genus perfectionis, licet alioquin infinitum in se; sed infinitas perfectiones, quotquot sunt aut esse possunt formaliter vel eminenter contingat, eo scilicet modo qui ad summam perfectionem attingit. Et hoc secundo modo infinitum esse simpliciter & absolute in omni genere perfectionis, Dei proprium est. Creaturae vero quavis secundum quid infinita esse possunt in aliquo genere: non tamen in omni. Quia quae independentia, neque absoluta necessitas essendi, neque Dei comprehensio, aliaque multae perfectiones, non sunt illis communicari: repugnant enim naturae entis creati.

7.

Supra
liberum
de
m...

8.

In hunc interpretor quod ait S. Tho-

mas q. 7. a. 2. in corp. proprium esse Dei ut per essentiam sit infinitus (simpliciter scilicet & absolute, aut etiam per independentiam & a se) creaturas vero esse tantum, aut esse posse, infinitas secundum quid. Quod vero disputat a. 3. & 4. in infinitum actu in magnitudine produci queat, pertinet potius ad qu. 25. de potentia Dei, & a physicis ita nunquiteratur, ut in quaestione alioqui parum vili, & supra caput humani ingenij perplexa, non sit Theologo immorandum. Fieri autem posse probabilius esse existimo. Quia licet argumentis contrariis ab humano ingenio satisfieri non possit: tamen validiora sunt quae pro parte affirmatiua militant, & ferè omnia argumenta contraria, in Dei cognitionem, vel durationem infinitam, vel immensitatem, vel rem aliam alioqui certam, & concessam ab Aduersarijs, & pugnat. Quod multi non satis animaduertunt, qui suis principijs & argumentis contra infinitum creabile, dogmata certa fide diuinam imprudenter aduertunt.

Deus solus est simpliciter infinitus per essentiam.

SECTIO II.

Soluntur obiectiones contra infinitatem Dei.

Contra doctrinam supra traditam de infinitate Dei, obijci potest primum: Deus est ens determinatum, quia est determinate id quod est, & ita est una substantia, ut non sit alia. Ergo est ens unitatum simpliciter. Ergo non est simpliciter inditum in genere entis. Secundum si Deus esset omnes perfectiones possibiles, nulla alia essent possibilia: quoadmodum si de facto creata essent omnia creabilia, nihil aliud esset creabile. Tertium, si Deus esset infinitus simpliciter in genere entis, non esset possibile aliud ens: sicut si daretur corpus inde quaque infinitum & imaginatum, non esset aliud corpus possibile. Probatur sequela; quia par est ratio virtutisque infiniti, ut omnia absorbeat, & omnia alia excludat. Nam ut rectè Henricus in Summa art. 44. quaest. 1. in fine corporis: Sicut infinitas corporis simul existens, est magnitudo corporalis infinitos gradus magnitudinum finitarum in infinitum accipiendarum continens: sic infinitas essentia Dei est spiritualis magnitudo perfectionis in esse absolute. Infinitos gradus magnitudinis perfectionis in esse in infinitum accipiendarum continens. Ut sicut infinitum corpus continet in se corporaliter quantitatem molis corporis bipedalis, pedalis, & sic in infinitum: sic essentia Dei infinita continet in se spiritualiter quantitatem essendi (id est perfectionem) speciei inanimati, vegetabilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, & sic in infinitum, ponendo infinitos gradus creaturarum possibiles inter esse Dei, & esse Angelicis quantumcumque supremi accipiendi.

9.

Henricus.

Ad primum Respondeo cum D. Thoma q. 7. a. 1. ad 3. Deum esse quidem ens determinatum, id est, distinctum a creaturis: &

10.
D. Thomas

Deus est ens determinatum, tamen infinitum.

esse determinate seu distincte id quod est: Verumtamen per hoc ipsum, esse id quod est, & distinctum a creaturis, quod est ens irreceptum, id est, ens a se, illimitatum in omni genere perfectionis, & complexens omnem perfectionem possibilem, vel formaliter, vel eminenter, eo scilicet modo quo eam continere melius est.

Ad secundum Respondeo, Deum non esse formaliter omnes perfectiones posibles, imò neque esse formaliter ullam perfectionem creatam, id est, qualis est in creatura, cum limitatione & dependentia: hoc enim esset magna imperfectionis in Deo & repugnat enti a se. Ideoque existentia Dei non excludit possibilitatem, neque existentiam rerum creatarum. An verò possint dari simul à parte rei omnia possible & omnia creabilia, dicemus in fine huius tractatus, disputando de potentia Dei.

Vide disp. 22. sect. 4.

Dei infinitudo non impedit quin alia sine possibili.

Ad tertium nego antecedens: & ad eius probationem Respondeo, dato corpore vnde quaque infinito & immenso, adhuc posse dari penetratiue cum illis alia corpora infinita, quorum existentia & moles corporea, finita vel infinita & immensa, non impediret, quin prius illud esset immensum, quia contineret æquialenter partes cuiuscunque alterius corporis sibi adiuncti, siue finiti, siue immensi. Quo pacto Deus continet æquialenter & eminenter perfectiones omnium creaturarum, quæ cum illo esse possunt; adeoque illarum existentia possible, aut actualis, non impedit quin Deus sit infinita & immensa perfectionis.

II. Impossibile est dari maximum finitum, quo aliud maius dari non possit.

Instabis, quia impossibile est dari maximum finitum: ergo est impossibile dari vllum infinitum. Probatur consequentia, quia non est infinitum id quod non superat & transcendit maximum finitum: alioqui enim manet intra multitudinem eorum quæ finita sunt. Antecedens verò probatur, quia si daretur maximum finitum: ergo addito vnico gradu, vel vnica parte finita, fieret infinitum: atque ita ex duobus finitis fieret infinitum, essetque certa proportio excessus, puta vnus vnitatis, vel vnus palmi, inter finitum & infinitum, si Ex. grat. dato maximo finito in quantitate continua, vel in multitudine, adderetur illi vnus palmus, vel vnica vnitas, eiusque additio fieret infinitum.

Respondeo negando consequentiam: ad cuius probationem dico, vt aliquid sit infinitum, non aliud requiritur quam vt excedat omne finitum, iuxta definitionem supra datam ab Aristotele. Potest autem excedere omne finitum, quamuis non superet maximum finitum possibile, quia nullum est tale, sed possunt esse finita maiora & maiora in infinitum. Sicut quemadmodum demonstrant Mathematici cum Euclide lib. 1. Element. definit. 12. & lib. 3. prop. 15. angulus reclusus est maior omnibus acutis, quamuis inter acutos non sit maximus, sed possint duci plures & plures in infinitum alij alij maiores. Et angelus circuli reclusus est maior diametro & costa,

Euclid.

est maior omnibus rectilineis, qui intra eandem diametrum & costam duci possunt plures & plures, alijque alij maiores in infinitum. Sic etiam circulus est perfectior omnibus figuris rectilineis, quamuis inter illas nulla sit perfectissima, possunt enim in infinitum multiplicari. Et homo est perfectior omnibus brutorum speciebus, licet in infinitum multiplicabilibus, vnde inter illas nulla est, quæ perfectior dari non possit.

SECTIO III.

De immensitate, & existentia Dei in rebus omnibus.

Conclusio: Deus non tantum est vbique, sed etiam vltra celos, quæ versus infinite diffusus & immensus. Prima pars est D. Thomæ. q. 8. a. 1. & 3. ubi ait, Deum simpliciter esse vbique in rebus omnibus creatis per præsentiam, potentiam, & essentiam. Per præsentiam quidem, quatenus omnia sunt in conspectu eius, id est, in notitia & visione terminata ad omnia actu existentia, iuxta illud Hebr. 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem sunt nuda & aperta oculis eius.* Per potentiam verò, quatenus eius omnipotentia operatur circa omnia, vbique efficiendo vel conferuando quicquid creatum est, iuxta illud Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis sue,* id est, phrasi Hebraica, verbo suo forti & efficaci. Et 12. Cor. 12. *Operatur omnia in omnibus.* Per essentiam denique, seu per substantiam & entitatem suam, quatenus per illam omnia replet, & entitatiue atque substantialiter rebus omnibus intime præsens est, iuxta illud Hierem. 23. *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Et Act. 17. *Non longe est ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.*

12.

Deus est vbique per essentiam, præsentiam & potentiam.

Dux priores præsentia, cognoscendo & operando, præcisè sumpta, morales sunt, & acteris loci. Tertia, physica est, & huius loci propria: quæ secundo confirmatur ex mysterio Incarnationis, & Eucharistia. Cui enim Verbum diuinum sit vnicum substantialiter humanitati Christi, & Christus totus secundum humanitatem & diuinitatem sit intime præsens substantialiter speciebus Eucharisticis: nisi diuinitas esset vbique, sequeretur eam localiter motam fuisse, quando humanitas mouebatur: & moueri quotidie ad motum Christi, & specierum Eucharisticarum ex vno loco in alium. Idem tertio confirmant sancti Patres vt D. August. Epist. 57. ad Dardanum, inter principium & medium: *Deus substantialiter vbique diffusus est.* Et Anastas. Synaita lib. 2. de reclusis dei dogmatibus, *Omnia diuinitas sua adimplet, essentia estque in omnibus que sunt.* Et Chrysof. hom. 17. in Genes. *Non ambulat Deus, absque: quomodo enim ambulat qui vbique præsens est, & omnia implet.* Quarto denique confirmatur ex autoritate immensitatis, & naturali ratione, de quibus mox.

13.

Probat Deus esse vbique per essentiam.

August.

Anastas.

Chrysof.

14. Probatur Deum esse immensum

Secunda pars conclusionis quod Deus sit substantialiter extra caelos quaquá versum infinitè diffusus & immensus, probatur primò ex Scriptura, quæ docet Deum suâ substantiâ hoc vniuersum ita replere, vt eo non desinat, sed extra latius pateat: nec vllum huius amplitudinis terminum dar. *Cæli caelorum te capere non possunt*, 3. Reg. 8. *Excelsior cælo est*, Iob. 11. *An non cogitas quod Deus excelsior cælo sit, & supra stellarum verticem sublimetur?* Iob. 22. In Concil. verò Lateran. sub Innocent. III. cap. 3. expressè dicitur, Deum esse immensum, & in alio Lateran. sub Martino I. can. 4. Christum secundum corpus esse circumscriptum, conditum, & capabilem: secundum diuinitatem, incircumscriptum & incapabilem, id est, excedentem suâ præsentia substantiâ omnem finitam capacitatem. Eadem etiam docent sancti Patres: Athanas. in Symbolo ad vniuersa Ecclesia recepto, *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus*. S. Dionys. cap. 9. de diuinis nominibus ait *Deum intrinsecè fundi supra omnem magnitudinem*: Athenagoras antiquissimus scriptor, in legatione pro Christianis, vbi sic scribit, *Deus ita mundum excedit, vt impleat vnde quaque quicquid supra ipsum est, nec locum vllum vacuum se relinquat*. Gregor. Nazianz. Apolog. 1. inter medium & finem, *Deus in vniuerso se est extra vniuersum*. Hilar. lib. 1. de Trin. serè initio, *Deus mundo inest interior, excedit exterior*. Cyrillus Alexand. in Concil. Epheso parte 2. cap. 4. *Deitas omni loco & mensura, & omni circumscriptione & mensurabili magnitudine superior, à nullo capi & comprehendere potest*. Et D. August. lib. 11. de Ciuit. cap. 5. vbi contra nonnullos argumentans sic ait: *An fortè substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loca, sed de ea sicut de Deo sentire dignum est, fatentur in corpore præsentia vbiq; totam, à tantis locorum extra mundum spatij absente disturi sumus, & in vno tantum, atque comparatione ipsius infinitis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non minor eos in hac tam loquax prægressuros*. Et lib. 9. Confess. cap. 5. comparat mundum spongiæ intra mare existenti, & habenti mare nõ modò intra se, sed extra quaquá versum infinitè diffusum & excedens: ita vt Dei immensitas simili modo totum mundum impleat & excedat.

15. Immenitas est perfectio

Accedit denique ratio naturalis. Nam in rebus corporeis & quantis perfectio quædam est, quod alicubi præsentem esse possint, essetque maior si pluribus locis totæ simul adesse possent, quod imperfectio naturalis naturaliter fieri non permittit. At verò amplitudo illa virtualis (id est, carens partibus enitatis quæ sint aliæ extra alias, illis tamen æquales) quæ rationalis anima, licet spiritalis & indiuisibilis, responderet adæquatè spatio diuisibili corporis quod informat, tota in toto, & tota in qualibet parte, perfectio purior & nobilior est, Angelis quoque superioribus conueniens, eoque maior, & Angelis nobiliores sunt. Illa ergo perfe-

ctio non est Deo neganda; sed vt fit in alijs perfectionibus quas à rebus creatis transferimus ad Deum, semouenda tantum ab ea sunt imperfectiones quædam, quibus non caret in creaturis. Cuiusmodi sunt esse dependentem, esse mutabilem, esse limitatam ad certum aliquod spatium. Cùmque Deus sit infinitus simpliciter in perfectione essentiali; concedenda illi est amplitudo virtualis infinita, independentens, immutabilis, illimitata, per quam omnibus spatijs, tum realibus & actualibus, tum possibilibus adæquatè respondeat.

Idem confirmari solet à posteriori ex effectibus Dei, non tantum ijs quos de facto operatus est in hoc vniuerso, sed & quos in infinitum quaquæuersum operari potest sine vlla sui mutatione locali, quam omnes à Deo, & quidem merito, semouent. Hæc autem probatio supponit, Deum esse præsentem substantialiter vbiunque operatur. Non quia planè impossibile sit operationem dari in distans, vt malè quidam imaginantur: sed quia Deus operatur perfectissimo agendi modo eateus, qui consistit in perfectissima applicatione maximèque potenti ex se: videlicet per indistantiam. Causa enim, quo præsentior est, eò magis dominatur & regnat in effectu. Ac si aliunde esset debilis; tantò melius ageret, quò magis indistanter. Quare cæteris paribus, modus agendi per indistantiam præstat. Ideoque iure Deo tribuitur.

Hinc, autem sequitur primò Deum adesse intimè rebus omnibus actu existèntibus. Quia in omnibus operatur, efficiendo vel conseruando omnia, iuxta illud Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, & Sapient. 11. v. 26. *Quomodo autem posset aliqui permanere, nisi tu voluisset: aut quod à te nihil non esset, conseruaretur?* & alia loca Scripturæ supra citata.

Sequitur secundò, Deum esse in omnibus spatijs imaginarijs, id est, habere extensionem virtualem æquiualem illi formali, quam imaginamur extra caelos vnde quaque illimitatam: & esse vbiunque operari potest modo illo perfectissimo, ita vt eius amplitudo non limitetur ad hoc vniuersum, sed infinita sit, & immutabilis, & necessaria, semperque eodem modo se habens secundum se, & ad illam alia diuersimodè se habeant. Nam alioqui mutaretur localiter, & extenderet se, in eo casu quæ extra mundum aliquid aliud produceret. Quia enim intimè illi adesse deberet, vt adesset toti mundo: deberet sumere maiorem quasi amplitudinem, & extendere se. Ac si Deus ante mundi creationem non habuisset amplitudinem sitalem quam nunc habet, sed præsentiam modè simplicem & planè indiuisibilem: non potuisset mundum sibi coniungere secundum præsentiam adæquatam, sine aliqua sui mutatione, & extensione locali. Sic denique, licet intra lunæ concauum destrueret omnia, esset nihilominus in mens seipso totum illud concauum; vt licet postea, eodem

16.

Probatur ex immutabilitate, & perfectio operandi modo, Deum esse immensum.

concauo corporibus iterum repleto. Nam alioqui mutaretur localiter, si recederet, aut accederet, aut aliter in illo secundum se defineret esse, vel inciperet: quia plus vel minus intrinsecam extensionis situalem haberet. Et si alium mundum crearet distantem ab illo qui nunc est, esset inter vtrumque mundum, quamuis inter vtrumque nihil aliud interiaceret. Alioquin haberet extensionem situalem intrinsecam interruptam & discretam: quod non minus est impossibile, quam Deum habere extensionem intrinsecam suae durationis interruptam & discretam, in eo casu quo vniuersum destrueret, & postea reproduceret, non durando seu perseuerando in esse, donec eundem mundum reproduceret, vel alium crearet. Quod implicare contradictionem manifestum est. Sic enim Deus defineret & inciperet esse.

17. Deus continet sine mole, omnes dimensiones.

Sequitur tertio, Deum excellenter, sine mole, & sine partibus, continere omnem longitudinem, latitudinem, & profunditatem, habereque actu quicquid ex parte sui necessarium est, vt infinita corpora possint ipsi esse presentia, postea solum quod existat, quamuis alia sint extra alia, & molem immensam constituent: sicut per aeternitatem habet quicquid ex parte sui necessarium est, vt quaecunque sunt, aut esse possunt successiue in infinitum, sint illi temporaliter presentia. Ita vt sicut aeternitas est duratio actu infinita, carens principio & fine, per quam Deus existit ante mundi creationem, & habet ex se quicquid durationis requiritur, vt coexistat rebus quibuslibet creabilibus prius & prius in infinitum a parte ante, vel posterius & posterius in infinitum a parte post: quod non habet res in tempore creata, vel in tempore desinens: neque enim Angelus initio mundi creatus, vi durationis quam re ipsa habuit, coexistisset alteri Angelo quem Deus longe ante mundum creasset. Sic immensas diuina concipienda est velut diffusio entitatis diuinae actu infinita vndequaque, per quam Deus excedit infinite limites huius vniuersi, habetque ex se quicquid est necessarium vt respondeat intimè, & praesens sit quibuscunque corporibus extra mundum creabilibus in infinitum, sine vlla sui mutatione locali; quod non habent corpora iam creata, vel Angeli, quae cum diffusione & extensione formalis aut virtualis, non est actu infinita, & illimitata ex parte sui. Et certe alioqui Deus non esset actu immensus, si tantum haberet diffusionem huic mundo respondentem: vt non esset aeternus, si haberet tantam durationem huic mundo respondentem, & non illi praexistere. Sic enim esset limitatus in duratione & diffusionem, aequè ac mundus ipse, eique commensuratus. Atqui de fide est Deum esse actu immensum & aeternum, id est, illimitatum & immensurabilis diffusionis & durationis. Ergo non habet solum diffusionem, huic mundo respondentem: sed infinite magis late patentem vndequaque, per quam aptus est in-

time praesens esse quibuscunque creaturis extra mundum producibilibus: Sicut per aeternitatem poterat coexistere creaturis producibilibus prius & prius in infinitum ante mundi creationem.

SECTIO IV.

Difficultates, & nota circa doctrinam praecedentem.

Contra primam partem conclusionis propositae nihil peculiare magni momenti obijcitur. Nam quod Deus in Scriptura dicatur specialiter esse in caelo, in templo Salomonis, in Sion, &c. de speciali modo ratione alicuius operationis vel effectus intelligendum est. Quo pacto Deus specialiter est in caelo, per gloriam: in iustis, per gratiam: in templo, per maiestatem: in Christo, per vnionem hypostaticam: in Ecclesia vniuersa, per directionem specialem & assistentiam. Indecentia vero quae videtur esse in eo quod Deus sit intimè praesens rebus etiam foedioribus, imaginaria est, nec nisi respectu nostri, quos haec male afficiunt. Imò illa qualiacunque, sunt Dei opera. Neque est indignus, Deum indistincter & intimè illis adesse, quam producere & conservare. Lux caeno non inficitur: nec anima spiritalis leproso corpore: nec Angeli mundo corporeo. Vellem autem ad hoc attendere Calvinistae, vt non adeo mouerentur indignitatibus quibusdam, quae circa species Eucharisticas contingunt aliquando. Quasi plus sit corpus Christi, quam Deus. Illa verò quae Deo tribuuntur interdum in Scriptura, ambulare, venire, ascendere, descendere, tropica sunt ex effectibus. Difficultas denique naturalis, quomodo Deus existens indiuisibilis, sit in spatijs diuisibilibus, totus in toto, & totus in qualibet parte, qua ratione videtur multiplicatum id quod vnicum est, & videtur esse extra se, ac distare à seipso; si totum est vbi-que: id sanè ratione naturali explicari satis nequit, vt fateatur Magister in primo distinctione 37. Lit. F. Eadem tamen difficultas est de anima rationali, & de Angelis. Et multa sunt quae esse quidem constat, non tamen satis apparet quomodo. Vt compositio continui, motus, tempus, aeternitas, organizatio animalium ex vilissima & parte vniuersi materia. Praedicta difficultas non sufficit ad destruendum dogma fide & ratione aliunde certum. Mouit tamen Vortium Calvinistam (& sanè alios) quae mouere deberet: nam si attendunt, ea quae contra Christum praesentiam multiplicem opponunt argumenta, contra hanc aequè militant. Nihil enim refert, sitne corpus, an spiritus, id quod localiter multiplicatur: cum diffusus totus in eo sit, quomodo vnum & idem potest

Non est indignum Deo adesse rebus vilioribus.



in locis diuersis simul esse totum, & esse quodammodo extra se, & diuisum à se: spiritus autem non est minus vnus & idem, sibi ipsi, quam corpus.) Mouit, inquam, Vvorstium vt negaret Deum esse vbique substantialiter. Quare in celo tantum esse vult. Et de anima rationali idem asserit esse tantum in corde, vel in cerebro. Nā alioqui si tota esset in corde, in cerebro, & in alijs partibus; esset extra se. Ita ex eius scriptis refert Becanus tract. 1. cap. 6. q. 1. qui cum merito Arianismi arguit. Nam si diuinitas erat tantum in celo: quomodo erat vnica substantialiter humanitati Christi existentis in terris? Deinde cur in hoc cœli puncto potius quam in illo? Anima quoque rationalis cur in hoc potius puncto cordis, vel cerebri, quam in illo? nam ne in parte quidem minima adæquatè inesse dici potest iuxta Vvorstium: alioqui vel esset extrinseca, si est indiuisibilis, & tota est in parte quolibet illius partis diuisibilis: vel si non est, sed pars in parte; erit quanta & diuisibilis. Cur, inquam, anima est potius in hoc puncto cordis aut cerebri, quam in alio, cum cor sit homogeneum, id est, constet partibus non dissimilibus, itemque cerebrum? Deinde anima ex Aristotele, & consensu omnium Philosophorum est actus corporis organici potentia vitam habentis. At vnicum punctum nō est corpus organicum. Quanam enim organi ratio, & quamnam organa possunt esse in puncto vnico? Attingere autem organa per virtutem à se derivatam, & extra se immissam, non est ea informare, & esse actum substantialem. Alioqui sol virtutes suam in terram immittere, eam informaret. Itē quomodo anima videt in oculo, olfacit in naribus, tangit in omnibus corporis partibus, si ibi non est? Respondet tortè Vvorstius animam hæc omnia præstare è puncto in quo est, per virtutem à se distinctam & immissam. Ergo cum experiamus sensationes non minus procedere à principio substantiali sensu, quam intelligere & velle, à principio rationali: intelliget partem & vult per virtutem distinctam: atque omnia vitæ exercitia, & actus secundi vales, discurrere, mereri, peccare &c. sicut per virtutem distinctam, non per ipsam animam, quæ secundum suam essentiam & substantiam mortuo quodam modo semper malebit, cæca & nihil videns, nihil intelligens, nihil appetens. Sola enim virtus ab anima derivata, & localiter distincta, videbit, audiet, intelliget, appetet, viuet, liberabit, peccabit, merebitur, dolebit, delectabitur, & cætera vitæ officia præstabit. Hæc quod studium contradicendi mysterio Eucharistiæ, & pertinacia Hæreticos adduxit!

19.

Immensitas
conuenit
Deo abso-
luta neces-
sitate, secus
autem vbi-
quitas.

Ad secundam partem conclusionis declarandam, nota primò immensitatem differre ab vbiuitate, seu existentia Dei in rebus; quod immensitas Deo conueniat absolute necessitate: vbiuitas verò non nisi supposita creatione & existentia rerum creatarum, quæ absolute libera est. Eà verò positâ conuenit necessariò, ex attributo immensita-

tis, vt quicquid ponitur, sit Deo præsens localiter: sicut ex attributo æternitatis sequitur necessariò, vt quicquid est in quacunque temporis differentia, Deo inimè coexistat.

Nota secundò, immensitatem sumptam veluti radicaliter, pro exigentia & absolute necessitate diffusionis omnimodæ, esse quidem perfectionem simpliciter simplicem; at non sumptam pro extensione actuali & diffusionem omni ex parte infinita, per quam apta est, completè ex parte sui, respondere omnibus spatijs realibus in infinitum creabilibus. Vel enim sumitur inadæquatè pro qualibet indiuisibili & partiali præsentia, aptitudinali respectu spatorum creabilium, & actuali respectu creatorum: vel adæquatè pro tota illa diffusionem infinita. Si primum: non est melior ipsa, quam altera qualibet partialis ad alteram spatijs partem, incompossibilis cum ipsa, cuiuslibet enti semel sumpto. Si secundum: illa quoque non conuenit Deo semel sumpto, sed infinities veluti replicato. At perfectio simpliciter simplex illa est, quæ cuiuslibet enti, vt vni scilicet semel sumpto, melior est ipsa quam non ipsa, aut quælibet alia incompossibilis cum ipsa.

Confirmatur, quia cum omnis perfectio simpliciter simplex sit Deo essentialis: vel tota Dei essentia non esset vbique: vel illa tota correspondentia, & extensio infinita, vbique esset: quod est falsum. Idè de æternitate cum proportione dicendum est. Si qui verò dicunt immensitatem actualem, id est, diffusionem formalem per omnia spatia realia & imaginaria, esse Deo essentialem: coguntur dicere absurdum aliquid, & impium: nempe Deum nunc non esse, neque vnquam fuisse. Quia de immensitate philosophandum est, vt de æternitate. At æternitas sumpta pro actuali diffusionem per omne tempus reale & imaginarium collectiue, seu tota, vel non est de essentia Dei: vel alioqui Deus iam non est, quia nunc non est tota illa diffusio: & impossibile est rem esse, si non sit eius essentia, id est, id quo est id, quod est, & sine quo nec esse potest, nec concipi.

Respondent aliqui, Deum esse identicè, non formaliter. Sed contra primò, vnumquodque est formaliter id quod est, & habet formam vel rationem quæ constituitur in esse quod habet, & quæ est id quod est. Ergo si Deus est, est formaliter Deus. Secundò, quod non habet rationem quæ formaliter sit tale, non est tale verè & simpliciter: quamuis identicè habeat illam rationem, id est, sit idem re cum ratione illa. Et sicut verum est dicere Petrum non moueri quando non mouetur formaliter, licet motus sit identicè Petrus (suppono enim modos non distinctos in re, ab ijs, quorum sunt modi) ita simpliciter verum esset dicere Deum non esse, si non est formaliter aliquid quo Deus in esse Dei constituitur, sed identicè tantum.

Respondent hanc propositionem, Deum non esse formaliter, significare Deum non concipi perfectè essentialiter, cum concipi-

Immensitas
actualis nō
est perfe-
ctio sim-
plex & es-
sentialis,
Deo.

20.

piatur tota diffusio immanentis & eternitatis. Sed contra primò, aliud est Deum non esse formaliter id quod est: & Deum non concipi. Neque enim Deus est per nostrum conceptum. Secundò, ille conceptus essentia diuinæ est peruersus. Nam verus conceptus essentia rei cuiuslibet, est conceptus illius quo res formaliter est id quod est, & sine quo tanquam intrinsecè inexisterente res nec esse potest, nec concipi. At diffusio illa non est id quo Deus formaliter est id quod est. Alioqui Deus non est Deus hoc instanti, neque vllò præcedenti aut sequenti: quia non est in vllò instanti tota diffusio eternitatis. Deus autem non est verè Deus sine eo quo formaliter est Deus, id est, sine ratione quâ constituitur in esse Dei.

Nota tertio, quando dicimus Deum extra cælos esse in spatiis imaginariis infinitis, id ita esse intelligendum, quòd Deus verè sit in seipso, & existat substantialiter, vbi nos spatia infinita imaginamur: non autem quòd verè ibi sint spatia realia, quibus Deus coexistat & actu præsens sit. Nam, vt rectè D. August. lib. II. de ciuitate, cap. 3. in fine. *Inane est cogitare extra mundum infinita loca: sicut inane est ante initium huius mundi cogitare infinita tempora præcessisse.* Dico igitur nulla dari spatia realia ab æterno, præter diuinam immensitatem: siue independentia à Deo & improducta, quòd est alienum à fide, & contra symbolum Nicænum affirmans Deum esse factorem omnium visibilibus & inuisibilibus: siue producta & dependentia, quòd repugnat Concilio Lateran. cap. *Finiter*, asserenti Deum omnia condidisse in tempore: sed neque esse vlla spatia realia in tempore producta, præter corpora ipsa, & similia, quæ sunt spatia physica sua mole: alia verò spatia in quibus Deus & mundus sint, esse planè superflua. Si enim necessaria, maximè vt Deus & mundus in eo sint, & motus localis in eo fiat, & præsentiarum variatio. Sed contra. Nam vel ipsa spatia sunt in aliis similiter, vel non. Si primum, itur in infinitum. Si secundum: quidni Deus, & corpora, & cætera creata, æquè primò sint & ponantur in seipsis, non in alio reali & actuali spatio distincto? Rursus sicut per se ipsa formaliter sunt, & veluti ponuntur in existentia, sine alio tempore, aliter distincto in quo recipiuntur: ita per se ipsa formaliter existere ponunt sine spatio reali distincto. Et quemadmodum fluxus durationis satis intelligitur & fit in ipsa sine tali spatio reali fluente & temporaneo: sic & motus localis, sine vllò alio spatio reali immobiliter permanente. Capacitas verò illa vt mundus sit vbi nunc est, & alia esse possunt vbi non sunt, vel malè concipitur, vel nihil aliud est quàm possibilitas, vt mundus, & alia, sint vbi nunc sunt, aut esse possint vbi actu non sunt. Sicut autem possibilitas merarum aliarum non est quid reale actu existens, sed tantum posse esse: sic nec ista. Alioquin extra Deum totæ existerent res ab æterno, quorundam res, quæ tunc impossibiles. Neque

Deus censendus est esse in illa possibilitate, extra cælos, tanquam in alio à se distincto, & actu sibi præsentè ac coexistentè. Nam possibilitas illa nihil est aliud, quàm corpora posse esse extra cælum vbi spatia imaginaria concipimus. At posse tantum esse, non est esse. Sed Deus tamen est concipiendus ita nunc se habere per suam diffusionem immensam, vt vi illius immutata, & eodem modo se habentis intrinsecè, presens esset omnibus corporibus quæ extra mundum crearentur, quantumuis illa in infinitum omni ex parte multiplicarentur, vel magis ac magis in infinitum extenderentur.

Nota quartò, Patres interdum dicere, Deum nusquam esse, & non esse in loco; propter illimitatorem præsentia diuinæ, intelligendo scilicet locum determinatum & finitum, quem Deo negant merito. Dicunt etiam aliqui, Deum nusquam esse, & vbi que. Nusquam, quia nullo loco circumscriptur. Vbi que, quia à nullo excluditur. Quod si queratur an Dei maximè proprium sit esse immensum, & esse vbi que, ita vt nulli creaturæ communicari possit? Respondeo, Dei proprium esse, vt sit immensus absolute necessitate: & sit vbi que necessitate omnimodà ex parte sui, posita aliunde existentia creaturarum. Vbi que itatem verò dependentem, & contingentem, creaturæ communicari posse, tum spiritibus, tum etiam corporibus, quæ etiam totaliter vbi que esse possunt spiritali modo, & indiuisibili, vt corpus Christi est in speciebus Eucharisticis. Idemque censeo dicendum de immensitate. Cum autem Patres ex immensitate Filij probant eius diuinitatem: vel loquuntur de immensitate absolute necessaria: vel argumentantur, non absolute ex natura rei, quæ sumptà, sed supposito aliunde reuelato, spiritus creatos, & qui quid non est Deus, habere, vbi limitatam. Licet alioqui non repugnet immensitate dependentem & contingentem potuisse communicari creaturæ.

Deus nusquam est, & vbi que.

Immensitas & vbi que itas quo modo Dei propria?

SECTIO V.

Refertur & impugnat sententia quorundam contra Dei immensitatem.

Contra id quòd diximus, Deum esse actu diffusum ultra cælos in infinitum quaquà versum, ad instar lucis à Deo creatæ, in infinitum ex parte diffusæ & immensæ, vel instar corporis infinite vnde quaque extensis: cum ea tamen differentia, quòd corpus illud, & lux corporea, extendere tur in infinitum vnde quaque per varias sui partes, quæ extensio formalis appellatur: Deus autem sua entitate indiuisibili, per sui replicationem, & per æquialitiam, non minus diffunditur, ad eum modum quo anima rationalis & indiuisibilis diffunditur per totum corpus quòd informat, & Angelus per sp-

24

August.

Non datur spatium infinitum præter Deum.

Valquez.
Moncaus.
Morat.
Granad.

D. Thom.

S. Bona-
uent.
Ricard.

Molin.
disp. ad
1. qua-
stionis 8.
Cumel.
Suarez.
Lefsius.
Gillius.
Fazolus.
Becan.

25

tium cui intimè coexistit, & Deus per totum vniuersum cui intimè præsens est, totus in toto, & totus in qualibet eius parte: Contra hoc, inquam, sentiunt Vasq. disp. 29. cap. 2. & sequentibus: Moncaus disput. 1. cap. 2. & sequentibus: Morat. disput. 3. sect. 1. & Granad. tract. 3. disp. 3. Ac primò citant in suam sententiam multos ex antiquis Theologis: sed non satis appositè plerosque, & imprimis S. Thomam qui nobiscum apertè sentit quod 8. artic. 4. in fine corp. vbi ait, propriè conuenire Deo, vt quocumque loca ponantur, etiam si ponerentur infinita, præter ista quæ sùt, oporteret, ex necessitate scilicet absoluta, adeoque sine Dei mutatione, & per id ipsum quod iam est, in omnibus esse Deum: quia nihil potest esse nisi per ipsum, & nimirum Deus qui perfectissimo modo operatur, & perfectissimo possidet effectum, eique dominatur, est vbicumque operatur, atque vbicumque operari potest. Eademque est sententia S. Bonauenturae in 1. dist. 37. in prima parte distinctionis artic. 2. quæst. 1. Ricardi ibid. artic. 10. quæst. 4. & aliorum plurium quos Aduersarij non benè citant. Tantùm enim negant Deum esse extra cælos præsentem alicui alteri rei: quia extra cælos nulla est alia res: sed non negant Deum esse in seipso extra cælos, ecce dereque finitum hunc mundum, cuius præsentia finita est: imò id expressè asserunt, eo quod Deus immensus est & infinitus: ideoque hunc mundum finitum excedit. Recentioribus verò nobiscum sentiunt Molin. & Cumel ad art. 1. quæst. 8. Suar. lib. 2. de attrib. cap. 2. num. 8. Gill. lib. 2. de Deo, tract. 9. cap. 2. Lefsius lib. 2. de perfect. diu. cap. 2. Arrubal. disput. 1. cap. 6. Fazolus ad quæst. 8. artic. 2. dub. 4. Becan. tractat. 1. cap. 6. quæst. 2. alique plures.

Secundò, contendunt Deum non esse extra cælos in spatiis imaginariis, quæ spatia imaginaria non sunt vera & realia, sed fictitia. Ideoq; Deus non magis potest dici esse in illis, quàm in chimæra, vel hircoceruo. Item Deus non potest dici esse in nihilo. Atqui spatium imaginarium re ipsa nihil est. Vnde inferunt non posse verè ac propriè dici Deum esse extra cælos, quia extra cælos nihil est in quo sit. Respondeo, Deum extra cælos non esse re ipsa in alio, sed esse solùm in seipso, posito quod neque Christi humanitas, neque quicquam aliud extra cælos existat. Non esse, inquam, in alio cui correspondat per se ipsam præsentiam: sed esse in seipso, id est, habere per se ipsum extensionem virtualementem, æquiualentem, sine partibus, extensioni formali rerum corporearum, & diffusionem interminatam vndeque, per quam est de se, immobiliter manens, completè potens ad respondendum per intimam præsentiam infinitis corporibus quæ possunt extra cælos creari. Quemadmodum lux infinitè diffusa extra cælos, tamen nulli alteri rei corporeæ respondet per intimam præsentiam, haberet tamen per se formalitè & in se ipsa for-

malem extensionem & diffusionem, per quam immobiliter manens, id est, situ suo intrinsicè inuariato, responderet intimè corporibus in infinitum creabilibus. Cum autem dicimus Deum esse in spatiis imaginariis extra cælos; non intelligimus illa spatia actu esse, & Deum illis sibi coexistentibus intimè respondere per præsentiam substantialem. Factum enim spatia illa non esse re ipsa, Neque enim sunt substantia ibi actu existens, neque accidens: neque negatio vel priuatio actu existens: aut capacitas vel non repugnantia, id est, possibilitas vt sint corpora extra mundum, quæ capacitas vel non repugnantia, seu possibilitas actu existat, & Deus re ipsa in illa sit. Hæc enim omnia sunt falsa. Quia extra Deum nulla est substantia infinitè diffusa, cuiusmodi esse fingitur illud spatium. Nul- lum item est tale accidens: & si esset, egeret subiecto in quo reciperetur, & à quo sustentaretur. Negationes autem vel priuationes meræ, sunt non ens: & dicere illas actu existere, est dicere non ens esse, seu non existens existere, in quo est aperta contradictio. Quod si dicitur aërem esse tenebrosum, hominem esse cæcum, & similia: sensus est, lumen non esse in aëre, potentiam videndi non esse in oculo, seu verè de illo negari. Similiterque negatio vel priuatio corporum extra cælos creabilium, non est aliquid esse actu extra cælos: sed est dumtaxat, corpora non esse actu extra cælos. Capacitas quoque, seu potius non repugnantia, & potentia pura vt corpora sint extra cælos, non est aliquid extra cælos existens, sed tantùm quòd corpora extra cælos esse possint; quamuis actu non sint. Pura autem potentia existendi, non est existens, sed est tantùm posse existere.

Cum itaque dicimus Deum esse extra cælos, nihil tale intelligimus esse in quo Deus sit: sed tantùm volumus Deum extra cælos habere, per se ipsum formalitè situ intrinsicè, & diffusionem suæ substantiæ interminatam, æquiualentem illi quæ in concipi- mus habere spatia illa imaginaria, sine quibus non possumus concipere & explicare illam Dei diffusionem; & qualem haberet lumen immensum, aut corpus vndeque interminatum, si talia Deo crearetur. Sicuti Deus per infinitam duratorem; & continuam præsentiam in esse, sine principio & fine, habet virtualementem, id est, sine vsetate partium, diffusionem illimitatam, æquiualentem tempori & motui infinito ab vtraque parte, & per quam sicut re ipsa coexistit omni tempori realitè existenti: ita per eandem sine vlla eius variatione intrinsecâ, est completè potens coexistere tempori longiori in finitum antè & post, si tale tempus magis ac maius in infinitum existeret.

Tertiò, contendunt Aduersarij non posse verè dici Deum existere extra cælos, sicut id posset dici de corpore extra cælos creato. Quia, inquam, corpus, ratione suæ quantitatis, suapte naturæ interuallum in se habet atque distantiam, ac pròinde situm & aptitu-

Spatia ima-
ginaria non
sunt realia.

26
Quo sensu
Deus dica-
tur existere
extra cæ-
los?

in eum et superficie & loco ambiente, quem replere potest, contineatur: illique aduerbia loci, ubi, ibi, alicubi, extra, vel intra cœlos esse, verè & propriè conueniant. Ex quo etiam fit vt extra cœlum, vel etiam in vacuo, localiter moueri possit. At Deus, & aliæ substantiæ spirituales, sunt indiuisibiles & expertes quantitatis. Ideoque ratione suæ substantiæ non possunt dici hęc, aut alibi, aut extra cœlum esse, sicut corpus. Quod confirmant, primò, quia omnis distantia localis fundatur in quantitate, & in eo quòd inter illud quantum, & aliud, eodem vtriusque situ retento, aliquod corpus interceptiatur aut possit intercepti. Secundò, vt addit Marat. disput. 3. sect. 4. Deus qui formalitèr est indiuisibilis, ac proinde formalis extēfionis incapax, ideo est realiter in actu secundo virtute extensus & diffusus, quia realiter & in actu secundo est totus in aliquo corpore extenso formaliter, & totus in qualibet eius parte. Ergo vbi nullum est tale corpus actu, Deus ibi virtualiter extensus & diffusus esse non potest. Antecedens probat, quia nullus materialium conceptit & dixit Deum esse virtualiter extensum, nisi quia vidit aliquod corpus formaliter extensum, in quo toto & singulis eius partibus Deum esse cogitauit. Tertiò, inquit idem Author, ex opposito sequeretur ipsam diuinam immensitatem esse formaliter verum, reale, atque ad reale spatium: Deumque per hanc immensitatem suam, verum ac reale intra se, suamque substantiam, spatium actu facere. At hoc est absurdum & falsum: quia de essentia veri formaliter spatij est, vt sit extensio partium extra partes, situ ad inuicem, locoque distantes. Quòd fit vt substantia, quæ spatium intra se facit, aut facere potest, debeat necessariò consistere partibus, & proinde esse corporea. Item, sicut ad essentiam spatij in genere, spectat extensio in genere: ita ad essentiam veri formalis spatij, spectat vera & formalis extensio. Vera autem & formalis extensio nulla esse potest nisi partium extra partes. Quartò: Deus nulla re alia præter ipsum durans, non est per suam æternitatem verè realiter, & in actu secundo, virtute extensus & diffusus. Ergo, nec per immensitatem suam, nulla re præter ipsum existente. Consequentia patet, quia tam immensitas, quam æternitas, est tota simul & indiuisibilis. Antecedens probatur, quia cum æternitas sit tota simul; & per eam Deus, nulla re præter ipsum durans, esset in actu secundo virtute extensus; haberet hanc suam virtutem extensionem, totam simul. Ergo æternitas esset spatium permanens, & totum simul existens in actu secundo: nam spatium, quod per se solum totum simul existit, est spatium permanens. Ergo æternitas esset ipsa immensitas, quam nos volumus esse spatium reale permanens. Addi denique potest spiritus non esse in loco nisi per operationem. Ergo non sunt vbi non operantur. At Deus nihil operatur extra cœlos: ergo extra cœlos non est. Ad hæc Respondeo primò, non esse consen-

taneum modo loquendi Scripturæ, & sanctorum Patrum, asserere quòd non possit verè dici Deum existere extra cœlos, cum Scripturæ & Patres, partim formaliter, partim æquiualentèr, hoc asserant locis supra citatis. Nam 3. Reg. 8. vers. 27. dicitur Deus, non capi cœlis, sicut non capiebatur templo Salomonis: *Si cœlum & cœli velarum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam adificauit*. Atqui tēplum Salomonis ideo capere Deum nõ poterat, quia Deus erat extra illud existēs & diffusus per totum vniuersum: Ergo, neque cœli Deum capere possunt ideo quia existit extra cœlos in immensum diffusus. Similiter illud Iob. 22. *An non cogitas quia excelsior cœlo sit, & supra stellarum verticem sublimetur?* literaliter & propriè, vt debet, intellectum, significat Deum supra cœlos, & supra verticem stellarum existere, esseque illi situ superiorem. Patres verò sect. 1. citati nu. 14. expressiūs, & in terminis id affirmant, cum aiunt, Deum extrinsecus fundi supra omnem magnitudinem, vt loquitur Dionys. *Esse extra vniuersum, adeoque extra cœlos existere, vt ait Nazianz. Esse superiorem omni cœlo & mensura, omnique circumscriptione, & mensurali magnitudine superiorem, adeoque cœlis ipsis, vt dixit Cyrill. Alexand. Non esse solum in tam exiguo spatio in quo mundus, sed excedere mundum vndequeque, sicut mare immensum excederet spongiam intra ipsum positam, vt ait August. Quibus omnibus nihil clarius & expressius dici potest, ad affirmandum Deum extra cœlos existere, esseque extra illos actu diffusum, vt intendimus.*

Respondeo secundò, tam posse dici de Deo quòd extra cœlos sit, vel de Angelo extra illos creato aut constituto, quàm de corpore: nullamque esse rationem differentie allatam ab Adversariis, inter corpus & spiritum. Nam Deus, & alij spiritus, suâ substantiâ spiritali tam sunt apti esse extra cœlos, quàm corpora suâ substantiâ materiali & extensa: Quæmadmodum non minus sunt intra cœlos, suâ substantiâ intra illos existente; quàm corpora intra eosdem cœlos existentia. Neque verò sunt intra cœlos per se primò & formaliter, eo quòd corpora aliqua sunt intra cœlos, aut quia respondent huiusmodi corporibus intimè & penetratiuè. Nam possent esse illa corpora intra cœlos, Angelis non existentibus intra cœlos. Possent etiam esse Angeli præsentès intimè illis corporibus, & tamen non esse intra cœlos: quia corpora illa cum Angelis possent esse extra cœlos. Possent denique esse intra cœlos non existentibus illis corporibus, quibus respondent intimè: vt in eo casu, quo Deus, Angelo manente immoto, destrueret omnia corpora intra cœlos existentia. Neque enim minus esset adhuc intra cœlos, quàm antea, quia eius substantia esset æquè cœlorum ambitu inclusæ. Quod signum manifestum est, Angelos non esse primò & formaliter intra cœlos, per corpora quibus sunt intimè præsentès: sed

Scripturæ & Patres dicunt Deum esse extra cœlos.

29. Tam verè dici potest Deum esse extra cœlos, quàm corpus, si extra ipsos poneretur.

Angeli non sunt intra cœlos formaliter per corpora quibus intimè respondent, sed per se ipsos.

solum eo quod ipsorum substantia existit actu intra cœlorum ambitum, æquæ ac ipsa corpora. Nec potest vlla reddi ratio, cur spiritus non sint formaliter per se intra cœlos, eo ipso quod eorum substantia intra cœlorum ambitum sit, remotis corporibus quibus intimè respondeant, & remotis quibuscunque aliis, præter ipsos Angelos & cœlos: sicut corpora sunt per se formaliter intra cœlos, eo solo quod ipsorum substantia cœlorum ambitu continetur, semotis quibuscunque spiritibus, & aliis quibuscunque, præter ipsa & cœlos. Si autem spiritus sint per se formaliter intra cœlos, & essent sine corporibus, possunt pariter esse extra cœlos sine illis. Atque ita nulla est ratio asserendi, Deum non esse nunc extra cœlos, propterea quod nullum est ibi corpus, cui intimè præsens sit.

30

Spiritus
habent for-
maliter per
seipso ex-
tensionem
virtualem.

Respondet tertiò, sicut corpora habent formaliter seipso spatium formaliter extensum per varietatem partium suarum, quæ existunt aliæ extrinsecas: sic Deum, & alias substantias spirituales, quamvis formaliter indivisibiles, habere per suam substantiam diffusionem, & replicationem, spatium, id est, extensionem virtuales, hoc est, carentem partium varietate, æquivalentem tamen spatio & extensioni formali corporum, & per quam apta sunt formaliter illi ad æquæ respondere. Neque enim illam aptitudinem & sufficientiam accipiunt à corpore. Quare secundum illam extensionem sunt capaces distantiam & situs intrinseci, aptæque ut superficie ambiente, quam replere possunt, contineatur, tam sola, quam iuncta corporibus quibus intimè respondeant. Sic enim anima rationalis, quando est corpori unita, habet per replicationem suam extensam extensionem virtuales, æquivalentem formali extensioni corporis: & secundum illam ambitur superficie externâ, quam replet, æquæ ac corpus: & manens immota corpore destructo, æquæ illam replet suâ virtuali extensione remanente cum eodem situ intrinseci. Possit autem remanere manifestum est: cum realiter distinguatur à corpore, & nulla sit essentialis dependentia vel connexio inter illam virtuales extensionem animæ, & extensionem formalem corporis: non magis quam inter entitatem utriusque. Idque clarius apparet, si loquamur de Angelo existente intra aliquod corpus, quod supponamus à Deo constructui, Angelo manente immoto. Vel de corpore Christi modo spiritali existente indivisibiliter sub speciebus Eucharisticis, quibus destructis posset de potentia absoluta conservari: imò quod desinat illis destructis, non est ex natura rei, sed ex diuina ordinatione. Denique hypothesis diuina unita animæ vel Angelo, esse ex necessitate illi intimè præsens, cum aliter illi uniti non possit: maneretque præsens, quamvis destruerentur omnia corpora, vel nihil aliud esset præter Deum, & spiritum ipsi unitum.

Per eundem modo Adversariorum argumento sufficienter responsum est, ostensumque cui-

denter falsum ab illo supponi. Ad cuius primam confirmationem dico gratis & falso assumi, quod omnis distantia localis, id est, generaliter situalis, de qua hic sermo est, fundatur in quantitate: Potius enim consistit in situ intrinseci cuiusque rei, siue corporeæ, siue spiritalis, comparato cum situ rei alterius non sibi intimè vel immediatè præsentis. Sicut ex opposito, indistantia consistit in situ utriusque rei intimè vel immediatè præsentis alteri. Quo pacto Deus est indistans à spiritibus creatis, & ab anima rationali, non minus quam à corporibus, eo ipso quod æquæ illis in omni inexistent, sicut de facto rebus omnibus in unum est, iuxta illud Actor. 17. v. 27.

Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Et hæc indistantia quam Deus habet respectu Angeli, non magis penderet à corpore: quam indistantia Dei à corporibus, penderet ab Angelis. Vtraque enim est mera denominatio, sumpta, prior quidem ab intima coexistentia Dei cum Angelo: posterior verò, ab intima coexistentia Dei in corpore cui intimè existit. Quare æquæ esset Deus indistans ab Angelo, quamvis non esset corpus: sicut esset æquæ indistans à corpore, quamvis non esset Angelus. Porro si spiritus possunt per se verè & immediatè fundare indistantiam, ut iam ostensum est: possunt etiam per se verè & immediatè fundare distantiam. Quia par est ratio distantiam & indistantiam. Ut enim eo ipso quod sunt simul intimè vel immediatè alij aliis præsentibus, sunt indistantes: ita eo solo quod sunt remoti, id est, quod existunt neque intimè neque immediatè præsentibus sibi inuicem, sunt distantes. V.g. Angeli existentes in cœlo empyreo, & Dæmones inferis alligati, eo solo distant ab inuicem, quod existunt non sibi intimè, neque immediatè præsentibus. Et destructis omnibus corporibus, dummodo ipsi manerent immoti, æquæ distarent: quia eundem situm intrinsecum retinerent. Inter quem utriusque situm, licet re ipsa nullum corpus tunc interciperetur, posset tamen utroque immoto intercipi: quod sufficit ad denominationem distantiam: & de facto interciperetur, si Deus iterum machinam mundi corpoream restitueret, Angelis immotis manentibus. Diceret autem quod in eo casu non possent Angeli, ne de potentia quidem absoluta, manere immoti, absurdum est: cum situs ille intrinsecus Angelorum distinguatur realiter ab omnibus corporibus, neque ab illis pendeat essentialiter in illo genere, causæ, ut manifestum est. Quare potest sine corporibus conservari: adeoque possent Angeli retinere eundem situm intrinsecum.

Ad secundam confirmationem, nego antecedens. Deus enim non est extensus virtualiter, & diffusus, per hoc quod est re ipsa totus in aliquo corpore, & totus in qualibet eius parte: sed per interminatam replicationem suæ substantiæ, æquivalentem infinitæ extensioni formali corporum, h. paratur per

Non om-
nis distantia
fundatur
in quantitate.

Spiritus di-
stant vel
indistant per
seipso, su-
umque situm
intrinsecum.

33

Deus est
diffusus
virtualiter
per seipso.

quam est aptus, & completè potens ex parte sua, respondere intimè infinitis corporibus creabilibus, siue illis actu respondeat, siue non; hoc est, siue sint actu corpora, siue non sint: Quemadmodum per aternitatem, id est, durationem suam intrinsecam interminatam, est completè potens respondere infinitis temporibus, & entibus successiue existentibus aliis post alia, siue illis actu respondeat, siue non. Ad probationem antecedentis dico, omnes qui benè concipiunt Dei immensitatem, ita illam concipere: sicut omnes qui benè concipiunt Dei durationem aternam, intelligunt Deum durare formaliter per continuam, id est, nunquam interruptam permanentiam in esse, carentem principio & fine: per quam est completè potens respondere intimè existentia quorumcunque creaturarum successiue existentium, atque etiam antè & post in infinitum creabilium. Est, inquam, de se completè potens respondere illis, siue actu respondeat, siue non, defectu solo existentia creaturarum quibus respondeat.

33
Lectio lib. 2. de perfect. diuina cap. 2. Immensitas diuina est spatium spirituale & virtuale.

Ad tertiam confirmationem, concedo antecedens cum Lestio supra citato, intellectum de spatio spirituali & virtuali, id est, sine partium varietate: eodem enim modo immensitas diuina est spatium, quo est extensa. De essentia verò talis spatij non est habere partes extra partes: sed habere entitatem indiuisibilem, quæ per sui replicationem æquiualeat extensioni formali corporum habenti partes extra partes: & per quam vel illi respondeat, vel sit apta respondere. Nego autem spatium illud spirituale esse formale. Quia non est extensio formalis, sed virtualis, id est, æquiualeans formali: & habens per replicationem simplicis entitatis, id quod habet formalis extensio per multitudinem partium aliarum extralias.

34
Deus æquè durebat intrinsecè ante mundi creationem.

Ad quartam, nego antecedens. Deus enim non minùs durebat intrinsecè ante mundi creationem, quàm nunc duret coexistendo rebus creatis. Et sic nunc, ut fatentur Aduersarij, habet extensionem virtualem, per quam respondet rebus omnibus successiue existentibus: sic antè habebat extensionem virtualem intrinsecam, per quam erat completè potens respondere creaturis quæ antè & antè in infinitum creari poterunt. Quod ut manifestè appareat, quero ab Aduersarij an anima, quæ hodie creatur, vel Angelus qui fuit initio mundi productus, potuerit ea præcisè duratione intrinseca quam habet, respondere creaturis, si quæ ante mundi creationem extitissent? Manifestum est non potuisse. Quia coexistere alteri, supponit existere: at non existebat anima vel Angelus, antèquam acciperet existentiam. Ergo si Deus fuit ex se completè potens, & in actu primo perfectò, ad illis coexistendum: ideo est quia eius duratio, & extensio virtualis existentia, non cepit cum mundi creatione, ut duratio Angeli, sed infinite antè præexistit. Ex quò sequitur, Deum extitisse longè antè mundi creationem, ut Scriptura sapius

verbis disertis affirmat. Existere autem longè antè aliquid aliud sine interruptione, non potest esse, nec concipi sine aliqua extensione, virtuali saltem, durationis seu permanentia in existendo. Item quòd Angelus creatus initio mundi plus durauerit, quàm anima quæ hodie creatur, euidenter est. Plus autem durauit formaliter & per se, non quia mundus simul durauit, sed quia utriusque creatio non fuit simul facta: atque inter utraque, eodem modo quo facta est, tantum potuit intercipi temporis, quantum re ipsa mundus durauit. Illudque verum esset, quamuis mundus corporalis non extitisset, neque durasset. Vbi autem est plus seu maius, & minus, est aliqua quantitas saltem virtualis: ergo duratio Angeli, quæ præcisè comparata cum anima hodie creatæ duratione, est illa maior, debet esse virtualiter extensa, & esset æquè extensa, quamuis non esset mundus corporeus, neque eius duratio. Sic ergo aternitas, seu duratio Dei, fuit extensa virtualiter antequam mundus crearetur.

Ad probationem antecedentis Respondeo, aternitatem definiti totam simul & perfectam possessionem vitæ interminabilis: quia Deus ratione suæ aternitatis perfectæ non possidet vitam per partes, neque per actum vitæ successiue, ut explicabimus disputatione sequenti. Non autem dicitur tota simul, quia non sit extensa virtualiter & æquiualeenter. Alioquin non posset respondere creaturis temporaneè existentibus. Differt autem ab attributo immensitatis: Quia aternitas est duratio perpetua, æquiualeans spatio finiti, vel infinitæ successioni temporaneæ rerum diuersarum: Immensitas verò est extensio formalis, æquiualeans extensioni formali situm in innitorum, quos habere possunt res intra mundum, vel extra, creabiles.

Ad vltimum, nego assertum. Angeli enim sunt per seipsos formaliter in loco in quo sunt, id est, per suam entitatem, quæ tali loco, vel spatio reali respondent: non autem per operationem. Nam potius ut operentur, prærequiritur, velut conditio, ut sint præsentès & propinqui sufficienter. Neque enim possunt operari in quantumlibet distans. Ideoque in Scriptura dicuntur egere motu locali & accessu ad ea, circa quæ volunt operari: Daniel. 10. vers. 14. Zachar. 2. v. 3. Tob. 8. vers. 3. Matth. 4. vers. 11. Luc. 11. vers. 24. & sequentibus, aliisque locis. Neque est necesse, aut verisimile, quòd Angeli operentur semper aliquid circa cælum Empyreum, quandiu in illo sunt: aut quando de cælo in terram descendunt, operentur aliquid in omnia corpora intermedia per quæ transeunt. Denique anima rationalis, quandiu est vnita corpori, est illi præsentès necessariò, & esset, quamuis circa illud nihil operaretur, Deo non concurrente ad operationem, conseruata tamen vnione. Sic hypostasis Verbi est præsentès intimè Christi humanitati, quamuis circa eam non operetur, quia non operatur extra. Idemque dico de corpore, sanguine,

35
Aeternitas est virtualiter & æquiualeenter extensa.

36
Angeli sunt in loco per se ipsos formaliter.

anima, & hypostasi Christi, respectu specierum Eucharisticarum, circa quas Christus vel non operatur, vel non est necesse ut operetur: & tamen in illis existit modo spirituali & inuisibiliter, quamdiu ipsa manent incorrupta.

SECTIO VI.

Refutantur ea quae respondent Aduersarij argumentis contra illos propositis.

37

EX dictis haecenus satis patet improbabilitas oppositae sententiae. Melius tamen apparebit examinando, quae parum verisimiliter, aut non coherenter respondeant Cuius auctores argumentis contra ipsos allatis.

Ac primò, ad Scripturæ loca quibus asseritur Deum esse excellentiorem cælo, & supra verticem stellarum sublimari, & non capi cælorum ambitu, respondet Monæus disp. I. cap. 6. his aliisque locis tantum significari Deum non includi sed definiti mundo, sed suam virtute & immensitate posse ultra, etiam in infinitum, se extendere, creatis tamen nouis rebus & spatiis: qua in re superat quicquid creatura est. Eodemque sensu ait intelligendos esse sanctos Patres à nobis citatos. Addit secundo paulò post, pleraque ex illis testimoniis metaphoram continere: iisque tantum significari singularem eminentiam perfectionis diuinæ, & infinitam vim eius potentiae.

38.

Scriptura docet verè & propriè Deum extra cælos esse.

Sed contra primam expositionem dico primò, metaphoras in Scripturæ explicatione non esse admittendas, nisi cogent necessitate, quæ nulla est negandi Deum esse extra cælos diffusum, virtualiter, modo à nobis explicato. Secundo, loca Scripturæ supra citata, ad litteram, & propriè, ut debent quoad veri potest, intellecta, non obscure significare Deum supra cælos & extra mundum existere: neque magis capi seu concludi cælorum ambitu, quam caperetur templo Salomonis, ultra quod sine dubio, & ex consensu Aduersariorum, diffundebatur per totum vniuersum. Tertio, si Deus non definitur mundo, sed sua virtute & immensitate potest ultra, etiam in infinitum se extendere creatis nouis rebus & spatiis, ut factum Monæus: vel potest se extendere acquirendo de nouo ex parte sui diffusionem & extensionem virtualem, quæ possit illis correspondere. Et hoc non fieret sine imperfectione, & sine mutatione situs intrinseci ex parte Dei, per augmentam intrinsecum suæ extensionis & situs intrinseci, quod est impossibile. Vel habet iam quicquid ex parte sua requiritur ut respondeat intimè rebus & spatiis realibus si creentur. Et hoc est quod intendimus: Deum scilicet ex necessitate & perfectione suæ immensitatis, & de facto se habere, ut ipse situa fuerit planè immutatus intrinsecè, responde-

re possit intimè quibuscunque spatiis corporalibus creabilibus. Item si creentur quaedam spatia corporalia extra mundum, Angelus qui est intra mundum, & cuius extensio virtualis est limitata, non responderet illis corporalibus spatiis extra mundum positus, sine variatione sui situs intrinseci, vel per maiorem extensionem, vel per translationem ex vno in aliud: neque per suam extensionem virtualem limitatam & finitam, esset completè potens, ex parte sui, respondere simul corporibus infinitis, ita ut, ad respondendum actu deesset solum corporum existentia. Ergo à contrario, ut Deus, sine sui situs mutatione sit completè potens adesse intimè quibuslibet corporibus extra cælos creabilibus in infinitum, debet habere actu diffusionem, seu extensionem virtualem, illimitatam, qualem haberet si actu illis responderet.

Contra secundam expositionem dico quarto, Angeli sunt perfectiores cælis: & tamen nunquam Scriptura de illis, ut de Deo, asserit esse cælis excellentiores, & supra stellarum verticem sublimari. Non posse capi cælorum ambitu: ergo, aliud Scriptura intelligit per hunc loquendi modum, quàm Deum esse perfectiorem cælis. Item Scriptura locis citatis affirmat Deum actu & re ipsa cælis excellentiorem, & supra stellarum verticem sublimari, ac cælorum & vniuersi totius ambitu non capi. Ergo asserit Deum esse actu extra totum vniuersum: & non tantum posse extra illud esse vel operari, futurumque re ipsa, si aliquod corpus ibi crearet: quemadmodum Angelus quoque in eo casu cælis superior esse posset, mouendo se ad corpus illud extra cælos positum, ut fatentur Aduersarij. Denique si Deus crearet aliquod corpus extra cælos, corpus illud esset verè extra cælos. Et si Angelus ad illud se moueret, illudque intinè occuparet; esset pariter extra cælos, a què ac corpus cui intimè responderet. Et similiter Deus illud implens suam præsentiam substantialiter verè diceretur esse extra cælos, ut fatentur Aduersarij. Atqui Deus nunc habet actu diffusionem, seu extensionem intrinsecam, quam tunc haberet: ergo, nunc est actu extra cælos, a què ac esset in casu posito. Neque nisi in eo casu esset formaliter extra cælos, per corpus, sed per diffusionem & extensionem virtualem suam substantiæ, per quam corpori illi responderet intimè. Confirmatur, quia Deus ex necessitate & perfectione suæ immensitatis habet nunc extensionem & situm æquivalentem illi situi intrinsecò, quem haberet tale corpus: & illi quem tunc acquireret Angelus per motum localem ad illud corpus. Atqui corpus illud esset extra cælos per talem situm intrinsecum: & Angelus esset extra cælos formaliter per illum situm quem acquireret, & non per corpus: ergo Deus nunc est re ipsa extra cælos, quia nunc habet id omne per quod formaliter intrinsecè esset extra cælos in casu prædicto. Eodem autem est in eo casu tam fore extra cælos Deum ac Angelum intimè

39.

Deus habet nunc eandem diffusionem intrinsecam extra cælos, quam haberet si corpora extra ipsos existissent.

intimè illi corpori præsemem, quàm ipsum corpus. Ac sicut corpus non est extra per spiritum formaliter, sed per seipsum, & per suum situm intrinsecum, quem si retineret destructo aut recedente spiritu, æquè maneret extra cælos: ita Deum & Angelum præsentem illicorpori, esse extra cælos non per corpus formaliter, sed per suam entitatem, suumque situm intrinsecum, quem si retinerent, destructo tali corpore, essent æquè extra cælum. Deus autem non potest illum non retinere: ac si iam non haberet; non posset illum acquirere, & adesse intimè corpori extra cælos creato. Quare vel nunc est actu extra cælos, vt affirmat Scriptura, vel nunquam extra illos esse potest. Atque ita Scripturæ interpretatio ab Aduersariis tradita, est contra sensum & veritatem Scripturæ. Testimoniis verò Patrum, quæ clariora sunt, multò minùs verisimiliter illa expositio conuenit, vt loca citata relegendi patebit.

Secundò, ad rationes allatas respondet Monachus capite 7. omnes ferè eo vicio laborare, quòd supponat mundum totum esse in ipsa in aliquo spatio: & si quis alius crearetur, in spatio similiter futurum. Verùm rationes illæ, prout à nobis fuerunt propositæ & explicatæ, non supponunt mundum esse in alio spatio corporeo, neque fore, si alius extrinsecum crearetur: neque Deum extra cælos esse in aliquo reali spatio: sed esse solùm in seipso per virtutem sui diffusionem. Sicut mundus corporeus extra cælos creatus, existeret in se ipso per formalem sui ipsius extensionem: Ac nisi ita esset, mutandum fore necessariò situm Dei intrinsecum, vt fieret præsentem intimè rebus quæ extra mundum crearetur.

Respondet Monachus eodem capite, id non sequi. Nam vt quispiam re ipsa mutetur aut moueatur, dum incipit esse vbi antea non erat; oportet vt in eo intrinsecè aliquid fiat, vtque antea non habuerit, quicquid ex ipsius parte requiri poterat, vt vbiq; seu in quouis spatio esset. Quod etsi Angelo (vt potè qui ex productione noui spatij præcisè non habet vt sit in illo, nec proinde habere tantum potest per aliquam actionem in ipso exercitam) necessariò conueniat: in Deum tamen minimè quæritur. Eò quòd immensitas, à nunquam carere potuit, sit ætium quòd ipse ex parte sua requirit, vt vbiq; sit.

At hæc responsio planè destruit intentionem oppositam nostram, aperitque concedit id quòd intendimus: nempe Deum habere re ipsa totam diffusionem ex parte ipsius requisitam, vt respondeat intimè rebus quibuslibet creabilibus: ita vt nihil aliud requiratur ex parte ipsius, sed tantum ex parte rerum earum requiratur vt existant. Quam diffusionem Angelus tantam non habet, ideoque indigeret motu aut mutatione. Siquis, vt respondeat rebus extra mundum creatis. Similiter

Tomus I.

que Deus, nisi illam actu haberet in se immutatam, egeret situali mutatione intrinseca, vt responderet rebus creatis extra mundum, pluribus aut maioribus in infinitum.

Tertiò, ad id quòd diximus philosophandum esse hac in parte de immensitate, vt de æternitate, fatetur Monachus immensitatem diuinam excedere spatium omne finitum? sicut æternitas excedit quoduis tempus finitum. Potest enim illa coexistere tempori maiori, & maiori in infinitum: Sicut immensitas potest coexistere spatio maiori, & maiori in infinitum. Verùm, inquit, hinc non sequitur, Deum actu & re ipsa extra cælum esse, ac in spatiis imaginariis: cum etiam proprie non sit extra tempus reale per suam æternitatem: non quidem defectu aliquo huiusce æternitatis, sed alicuius temporis quòd nostrum antecesserit, & ratione cuius dici possit extra nostrum fuisse.

Sed hæc responsio potè implicare non videtur, & se ipsam destruere. Si enim Deus excedit sua immensitate omne spatium finitum, vt ait Monachus: ergo est extra omne spatium finitum. Ergo est extra cælos & totum vniuersum, cuius spatium est finitum. Consequentia patet, quia quòd aliud excedit sua diffusionem, est extra illud quòd excedit. Eodemque modo Deus est necessariò extra omne tempus reale, si sua æternitate excedit omne tempus reale. Secundò, si vt concedit idem Author, Deus licet extra mundum non coexistat vbi spatio reali, sicut ante mundi creationem non coexistit vbi tempori reali: habet tamen quicquid requiritur ex parte sua ad coexistendum in finitis spatiis & temporibus, solùmque defunt spacia & tempora quibus coexistat, nullo nouo situ intrinsecò, vel duratione Deo acquisitâ: sequitur manifestè ex hoc responsio id quòd intendimus: nimirum Deum iam habere virtutem suam extensionem, quæ ex parte illius necessaria est vt illis coexistat, quamue haberet, si coexistere: & ob cuius defectum Angelus non posset illis coexistere sine augmento extensionis & durationis intrinseca.

Quartò, ad id quòd diximus, tam esse impossibile extensionem immensitatis esse interruptam & discretam in eo casu, quòd Deus duos mundos inter se distantes crearet, sine corpore vilo intermedio: atque est impossibile extensionem æternitatis Dei esse interruptam, in eo casu quòd Deus hoc vniuersum destrueret, & postea, sed non immediate, idem vel aliud produceret, nullo interea reali tempore, vel ena alio successiuo existente: Est autem evidenter impossibile ita interrupti æternitatem Dei: sic enim Deus desineret esse, quia non permaneret in esse donec aliquid produceret. Ad hoc, inquit, respondet idem Author eodem capite, vnicuique argumèti propositi, Deum habiturum aliquid

Immensitas excedit omne spatium finitum.

42

H

intercisionem in sua praesentialitate: quia esset in illis duobus mundis, nullum intermedium habentibus, in quo pariter esset. Quod, inquit, non est absurdum, neque coargui potest exemplo aeternitatis divinae, cum hac ipsa aeternitate similem possit intercisionem habere, in quantum potest Deus per eam coexistere temporibus discretis, & non intermedio, si nimirum nullum sit medium: uti accideret, si Deus, ut potest, omnia destrueret.

43. Sed haec responsio vel non est ad rem, vel continet falsum & impossibile. Non est ad rem sed plane inutilis, si tantum intelligat Deum in eo casu habiturum duas coexistentias cum duobus realibus distinctis & distantibus, intercisas seu discretas, defectu tertij intermediij cui pariter coexistat, & que enim ipsi in proposito argumento id intendimus. Continet autem falsum & impossibile, si velit non modo coexistentes intimas cum alio reali, sed & ipsamque intrinsecam extensionem virtuales aeternitatis, seu permanentiam in esse, fore intercisam: quod non posset esse, nisi Deo cessante esse simpliciter. Alioquin enim si non cessat esse mundo destructo, durat & permanet in esse: atque ita virtualis extensio durationis eius continuatur donec mundus idem vel alius producat. Sicut etiam duraret in aeternum, quavis Deus omnia creata destrueret, nihilque deinceps amplius produceret, & duravit re ipsa antequam Deus quicquam crearet: iuxta illud Psalm. 89. *Prusquam montes fixent, aut formaretur terra & orbis, a saeculo & usque in saeculum tuus Deus.* Et Prouer. 8. *Antequam quicquam faceret, &c.* Et Ephes. 1. *Elegerit nos, ipso ante mundi constitutionem.* Et quidem euidens esse debet, Deum in casu praedicto non ita se habiturum quoad intrinsecam suam durationem, ut se haberent Angeli, si Deus eos simul cum vniuerso destrueret, posteaque eam eodem vniuerso reproduceret: alioquin Deus definiret esse, & rursus inciperet esse, ut Angeli: sed potius ita se habiturum, ut se haberent Angeli quos Deus conseruaret destructo toto mundo corporeo. Manifestum autem est, quod in eo casu durarent Angeli intrinsecè, quia perseverarent in esse, & extensio virtualis intrinseca durationis eorum non intercederet, sed continuaretur: Ego similiter in casu de quo disputamus, extensio virtualis durationis divina non interrumperetur. Ac si pariter philosophandum est hac in parte de immensitate, & de aeternitate Dei, ut concedit Moncaus, non intercederet quoque extensio virtualis immensitatis in eo casu quo alius mundus ab isto distans crearetur. Tamque est impossibile, intercipi illius extensionem, atque extensionem aeternitatis, de qua id manifestè implicat, cum sit ineliminabilis & absolute necessaria.

Impossibile est Dei aeternitatem esse intercisam in se.

Incredibilia verò sunt quae addit idem Author cap. 8. & 10. in eo casu quo Deus Angelum crearet, vel corpus sine extensione locali, absque omni alio localiter & formaliter extenso; Angelum tunc, aut illud corpus, nullibi futurum, ac ne quidem habiturum *Vbi*, vel situm intrinsecum, per quem scilicet correspondere posset corpori formaliter extenso si crearetur. Quia, inquit, illud *Vbi* intrinsecum est aliquid distinctum & posterius Angelo, vel tali corpore: ergo potest Angelus & corpus sine illo esse. Secundò, illud *Vbi* Angeli non potest cogitari nisi duplex: diuisibile, vel indiuisibile. Neutrum autem haberet Angelus in eo casu: quia *Vbi* diuisibile habet ordinem ad spatium diuisibile cui respondeat: & *Vbi* indiuisibile habet ordinem essentialem ad punctum illius spatij diuisibilis cui respondeat. Tunc autem nullum esset huiusmodi spatium: ergo, &c. Ex quo infert cap. 10. Deum non futurum quoad essentialiam, seu substantiam, in huiusmodi Angelo, vel corpore indiuisibiliter posito: & Angelum vnum non fore alteri propinquum, neque etiam ab eo distantem; sed fore omnes indistantes pure negatiue. Cuius ratio, inquit, a priori est, quia, ut aliqua dicantur sibi esse mutuo praesentia, vicina, vel distantia, oportet ipsa seorsim accepta alicubi esse, & situm aliquem habere. Nam, *Vbi*, est fundamentum omnium huiusmodi respectuum.

Sed contra, primum est prorsus incredibile & inimaginabile aliquid existere, & non esse aptum respondere alicui corpori extenso, si existet; quod est habere situm sine *Vbi* intrinsecum: sicut est prorsus incredibile & inimaginabile aliquid existere, & non esse huiusmodi, ut corresponderet alicui temporis, vel eius parti aut instanti, si simul existeret. Secundò, *Vbi* intrinsecum Angeli vel corporis indiuisibiliter positi, cuiusmodi est corpus Christi in Eucharistia, non magis vel minus ab eo distinguitur, quam *Vbi* corporis extensi ab ipso distinguitur. Et tamen fatetur ibidem Author citatus, & capite 8. & 9. corpus extensum non posse capere omni *Vbi* intrinsecum: ergo male concludit corpus indistinctum, vel Angelum, posse eo capere, quod *Vbi* intrinsecum sit aliquid distinctum, & posterius ipso. Re autem verà *Vbi* intrinsecum non distinguitur a re, sed est ipsa essentia rei, ita se habens, ut sit completè potens respondere adaequatè vel inadaequatè reali spatio formaliter diuisibili, si existeret: tanquam ab illo distans vel indistans. Estque impossibile eam vllam esse sine tali aptitudine & inscientia ex parte sui: sicut est impossibile quicquam existere, & non esse de se completè potens coexistere adaequatè vel inadaequatè temporis, si tempus simul existeret. Vnde non magis distinguitur *Vbi* intrinsecum, quam duratio, &

44. Angelus haberet *Vbi* intrinsecum, quantum sine corporibus crearetur.

45

Vbi intrinsecum non distinguitur a re, estque ab ipsa inseparabile.

utraque est æquè absoluta & intrinseca. Quare tertio falsum est *ubi* intrinsecum Angeli, habere ordinem essentialem ad spatium formaliter extensum, vel ad eius indivisibile. Nam illud, *ubi*, convenit illi per se absolute, sine respectu intrinseco ad spatium corporeum, estque ipsamet eius entitas spiritalis, independens à corpore, & per se sufficiens corporali spatio respondere. Quarto, falsum pariter est Deum non futurum per essentiam seu substantiam in tali Angelo, vel corpore inextenso. Nam licet omnia creata destruerentur, præter Christum indivisibiliter positum in Eucharistia: divinitas esset vnita eius humanitati, vt & anima eius corpori. Ergo esset illi intimè præsens secundum substantiam. Nam vnio physica & substantialis extremorum, non potest fieri & conservari, nisi extrema sint intimè præsentia. Idemque dico de Deo & de Angelo, si Deus illum hypostatice assumeret, vt possibile est. Eademque est ratio de omnibus aliis quæ tunc essent, quamuis Deus illis non vniretur, sed tantum intimè adesset. Neque enim Deum esse in aliquo, est illi vniri. Nam Deus re ipsa est intimè in omnibus corporibus creatis, & tamen nulli vnitus est, nisi corpori Christi. Dicere autem Deum in eo casu fore indistantem aut præsentem negatiue, est ludere in verbis, aut loqui inintelligibiliter. Nam illa præsentia est positiva, quæ est inter entitates positivas sibi intimas vel immediatas: Neque aliter spiritus sunt præsentibus corporibus positivi, aut Deus toti mundo, nisi quia per suas entitates intimè vel immediatè simul existunt: & omnis alius modus positivus distinctus, est fictus & superfluus, atque inutilis ad fundandam

hanc denominationem. Quinto denique, incredibile est Angelos omnes fore tunc necessariò indistantes, defectu extensionis corporeæ cui respondeant. Nam, vt supra diximus, si Deus, Angelis immotis manentibus, mundum corporeum annihilaret, Angeli beati qui nunc existunt in cælo empyreo, non minùs distarent à Dæmonibus qui nunc in inferno continentur.

Nihil meliora sunt quæ Vasquez, & alij eiusdem sententiæ assertores respondent. Nam quod ait Marat. sect. 3. & 4. disp. cit. non magis posse virtuales extensionem Dei, vel Angeli, esse sine extensione corporali cui respondeat; quàm similitudinè vnus albedinis, sine aliâ cui sit similis: vel vnionem sine extremis: à vero alioquin est. Similitudo enim est denominatio extrinseca ad altera albedine coëxistente: vel, vt alij volunt, est relatio vnus albedinis ad aliam vt coëxistentem. At extensio virtualis Dei, vel Angeli, non est denominatio extrinseca à coëxistenti spatio corporali, neque relatio, sed tributum absolutum & omnino intrinsecum. Non est quoque vnio cum spatio corporali. Nam Deus & Angeli non vniantur spatiis, quibus intimè respondent. Et illis non existentibus essent per se completè apti, id est, sufficientes illis respondere: in quo consistit formaliter virtualis eorum extensio sitialis: sicut duratio eorum intrinseca consistit formaliter in extensione virtuali permanenti in esse, per quam sunt completè potentes respondere temporis, vel enti formaliter successivè. Id est, duranti per varias sui partes, alias aliis continuò succedentes, vt multi tempus durare censent.

46.
Marat.

Extensio
virtualis
Dei, vel
Angeli, potest esse sine
extensione
corporali cui
respondeat.

DISPUTATIO SEXTA

De Immensitate, Æternitate, & Vnitate Dei.

- Sectio I. *An Deus sit omnino immutabilis?*
 Sectio II. *Solutio, & signor difficultates circa immutabilitatem Dei.*
 Sectio III. *An & quomodo Deus sit æternus?*
 Sectio IV. *De Vnitate Dei: Et utrum Deus sit ita vnus, vt absolute repugnet esse plures?*

DE materia proposita disputat S. Doctor quæst. 9. 10. & 11. Ac primò affirmat Deum esse simpliciter immutabilem: tum quia est primus ens, & actus purissimus, absque permixtione alicuius potentie: tum etiam quia est omnino simplex, incapax omnis compositionis cum aliquo, quod acquirat per mutationem: tum denique, quia cum sit infinitus